

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

**LVII.**

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](#)

rem appellavit, tametsi à nemine rogatus. Habes ergo refutationem illius partis Epistolæ. Rectoris officium non possum facere, nec interpretis. D. Planerus, integerrimus vir, vobis sua officia peramanter offert: sed de hoc & de cæteris proxime plura. Vide, quantum mihi de te pollicear, quod tam neglectim scribo; sed hoc amicitiæ est. Fratri, M. Erasmo, me excuses velim in aliquos saltem dies. Herro vestro, incomparabili viro, ex me observantia & studii plenissimam salutem. Ei quoque decrevi, ut à me coram petiri, scribere. Jam vale, & me amare perge, tametsi eum sentio amorem tuum esse, ut non facile major possit existere. Argentorato, postrid. Ulrici, 71.

*Tuus totus*

Pappus.



## LVII.

*Salutem in Christo Jesu. Reverende & Clarissime  
Vir, Domine & frater honorande.*

**L**iteras tuas eodem die accepi, quo iter Mompelgardia sum ingressus. Quoniam autem spero, me non diu Mompelgarti commoraturum, optarim te prius Argentorati convenire, quam iter in patriam susciperes. Ubi & de causa D. Illyrici & Piscatoris tecum agam. Fortassis ante sextum diem Augusti me Argentorati videbis. Ideo si illa ratione fieri potest, susceptum iter ad aliquot, eosque paucos, dies differas. Si in reditu Piscatorem Argentorati invenero, agam coram, ut intelligatis me & veritatem & autoritatem vestram tueri velle. Sin Tubingæ in illum incidero, idem agam, quod re ipsa vobis testatum facere volo. Disputationem meam nuper habitam D. D. Herbrandus me inscio ad Te misit. Spero, illam & tibi & D. Illyrico satisfacturam. Et quoniam Tu Illyrico hortator fuisti semper, ut phrasin abjiciat, quæ plurimos offendit, & ipsum in gravissimam suspicionem hæreses adduxit, procul dubio nunc te audiet. Qua de re Argentorati brevi, ut spero, coram. Bene & feliciter vale. Raptim Basileæ, 17. Julii, 1571.

*Tuus ex animo totus frater*

Jacobus Andreæ.

## LVIII.

**S.** Qui has perfert, Bernensis scholæ Professor est, M. Benedictus Aretinus, Bernatum in Academia vestra quondam alumnus. Vir est pius, & moderati in-

Bbb

genia.